

ita mature perpensa, de controversia denique pronunciare debebunt. Quotiescumque autem Pontifex, vel ob rei, de qua in Libro agitur, gravitatem, vel quia id Auctoris merito, aliisque circumstantiis tribuendum censeat, Libri iudicium coram se ipso in Congregatione Feriæ quintæ habendum decrevit; quod sæpe a Nobis factum fuit, et quoties ita expedire iudicabimus, in posterum quoque fiet; tunc satis fuerit exhibere Pontifici et Cardinalibus Libri censuras, et Consultorum suffragia, omissis examine Congregationis Feriæ quartæ, ejusque relatione, quam per Assessorem Pontifici faciendam diximus: nam Cardinalium suffragiis coram ipso Pontifice ferendis, atque hujus definitiva sententia, vel alio opportuno consilio in eadem Congregatione capiendo, res absolvetur.

§ 6. Altera quoque Indicis Congregatio plures complectitur Cardinales ipsi a Pontifice adscriptos, iisdemque dotibus præditos, quibus S. Officii Cardinales pollere solent; quum etiam eorum aliquos in utraque Congregatione locum habere contingat. Ex iis unus ejusdem Congregationis Præfectus existit: Assistens vero perpetuus est Magister Sacri Palatii; Secretarius autem, a prima Congregationis institutione usque in præsentem diem, ex Ordine Fratrum Prædicatorum a Summo Pontifice pro tempore eligi consuevit. Sunt præterea ex utroque Clero Sæculari et Regulari ejusdem Congregationis Consultores, et Relatores selecti; et quidem, ubi aliquis Librorum relationes coram Congregatione semel, bis, tertio, laudabiliter peregerit, tum ipsa Congregatio Pontificem rogare solet, ut ejus auctoritate in Consultorum numerum referatur.

§ 7. Sub ipsa Pontificatus nostri primordia, ea Nos subit cogitatio, ut certam aliquam et immutabilem methodum pro examine iudiciorum Librorum in hac Indicis Congregatione servandam statueremus. Qua de re non modo consilium exquisivimus dilecti Filii Nostri Angeli Mariæ Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalis Quirini nuncupati ejusdem Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Bibliothecarii, et dictæ Congregationis Præfecti, qui pari prudentia et doctrina suum Nobis sensum scripto declaravit; verum etiam antiquiores aliquot ejusdem Congregationis Consultores coram dilecto Filio Josepho Augustino Orsi Ordinis Prædicatorum, tunc ipsius Congregationis Secretario, nunc autem Palatii Apostolici Magistro, convenire jussimus, suamque sententiam aperire, quæ pariter scripto concepta, Nobis jam tunc exhibita fuit. Cumque hæc omnia diligenter apud Nos asservata fuerint, nunc demum veterem deliberationem Nostram resumentes, quemadmodum ea, quæ ad Librorum examen, atque iudicium in primordiana Congregatione Sancti Officii peragendum, pertinent, auctoritate Nostra constabilivimus; ita etiam ea, quæ ad Congregationem Indicis, et ejusdem generis negotia apud eam tractanda facere possunt, opportunis Decretis constituere volentes, prælaudati Cardinalis Præfecti consiliis, dicto-

rumque Consultorum votis inhærendo, hæc deinceps servanda decernimus.

§ 8. Cum Congregatio Indicis ad Librorum censuram unice, ut dictum est, instituta, non ita crebro convocari soleat, ut altera Sancti Officii Congregatio, quæ ob causarum et negotiorum multitudinem, singulis hebdomadis ter haberi consuevit; illius propterea Secretario peculiare munus et officium recipiendi Librorum denunciations, ut fieri jam ante consuevit, committimus et demandamus. Is autem a Libri Relatore percunctabitur diligenter, quas ob causas illum prohiberi potest; tum Librum ipsum haud perfunctorie pervolvit, ut de propositæ accusationis subsistentia cognoscat; duobus etiam in eam rem adhibitis Consultoribus, ab ipso, prævia Summi Pontificis, aut Cardinalis Præfecti, vel ejus, qui Præfecti vices supplet, approbatione eligendis: quorum collato consilio, si Liber censura et nota dignus videatur, unus aliquis Relator ad ferendum de eo iudicium idoneus, illius nempe facultatis, de qua in Libro agitur, peritus, eadem, quam nuper innuimus, ratione eligendus erit, qui scripto referat animadversiones suas, adnotatis paginis, quibus singula ab ipso reprehensa continentur. Sed antequam ejus censura ad Cardinalium Congregationem feratur, haberi volumus privatam Consultorum Congregationem, quam olim *Parvam* dixerunt, Nos autem *Præparatoriam* vocabimus, ut Relatoris animadversionibus ad Librum collatis, de earum pondere iudicium fiat. Hujusmodi Congregatio semel omnino singulis mensibus, aut etiam sæpius, si oportuerit, ab ipso Congregationis Secretario convocanda erit, vel in suis cubiculis, vel opportuniore, ut ipsi videbitur, loco, intra prædicti Cœnobii Aedes, ubi is commoratur. Eique semper intererit Magister Sacri Palatii pro tempore existens, una cum sex aliis e numero Consultorum, singulis vicibus, pro qualitate argumenti et materiæ, de qua disputandum erit, ut supra de primis duobus Consultoribus, et de Relatore constitutum est, a Secretario eligendi; præter Secretarium ipsum, cujus partes erunt in tabulas referre Consultorum sententias, quas deinde ad Congregationem Cardinalium mittet, cum Relatoris censura. In generali demum Congregatione omnia illa servari debebunt, quæ superius statuta sunt pro Congregatione Sancti Officii circa Librorum examen. Ac quemadmodum ad Assessorem Sancti Officii pertinet, de actis in Congregatione Summum Pontificem certum reddere; ita ad Secretarium Congregationis Indicis spectabit, quoties hæc Librum aliquem proseribendum, aut emendandum censuerit, ejusdem Pontificis assensum, prævia diligenti actorum omnium relatione, exquirere.

§ 9. Quoniam vero in Congregatione Indicis de sola Librorum prohibitione agitur, nonnulla hoc loco adjungenda iudicavimus, eidem Congregationi potissimum usui futura, quæ tamen ab altera etiam Congregatione Sancti Officii, dum in hujus quoque generis causis se immiscet, ubi similes rerum cir-

cumstantiæ se offerant, æque observanda erunt. Quotiescumque agatur de Libro Auctoris Catholici, qui sit integræ famæ, et clari nominis, vel ob alios editos Libros, vel forte ob eum ipsum, qui in examen adducitur, et hunc quidem proseribi oporteat; præ oculis habeatur usu jamdiu recepta consuetudo prohibendi Librum, adjecta clausula: *Donec corrigatur*, seu *donec expurgetur*, si locum habere possit, nec grave quidpiam obstet, quo minus in casu, de quo agitur, adhiberi valeat. Hac autem conditione proseriptioni adjecta, non statim edatur Decretum, sed suspensa illius publicatione, res antea cum Auctore, vel quovis altero pro eo agente, et rogante, communicetur, atque ei quid delendum, mutandum, corrigendumve, fuerit, indicetur. Quod si nemo Auctoris nomine compareat, vel ipse, aut alter pro eo agens, injunctam correctionem Libri detrectet, congruo definito tempore Decretum edatur. Si vero idem Auctor, ejusve Procurator, Congregationis jussa fecerit, hoc est novam instituerit Libri editionem cum opportunis castigationibus, ac mutationibus; tunc suppressimatur proseriptionis Decretum; nisi forte prioris editionis exemplaria magno numero distracta fuerint; tunc enim ita Decretum publicandum erit, ut omnes intelligent, primæ editionis exemplaria dumtaxat interdicta fore, secundæ vero jam emendatæ permissa.

§ 10. Conquestos scimus aliquando nonnullos, quod Librorum iudicia et proseriptiones, inauditis Auctoribus, fiant, nullo ipsi loco ad defensionem concessio. Huic autem querelæ responsum fuisse novimus, nihil opus esse Auctores in iudicium vocare, ubi non quidem de eorum personis notandis, aut condemnandis agitur, sed de consulendo Fidelium indemnitate, atque avertendo ab ipsis periculo, quod noxia Librorum lectione, facile incurritur; si qua vero ignominia labe Auctoris nomen ex eo aspergi contingat, id non directe, sed oblique ex Libri damnatione consequi. Qua sane ratione minime improbandas censemus hujusmodi Librorum prohibitiones, inauditis Auctoribus, factas; quum præsertim credendum sit, quidquid pro se ipso, aut pro doctrinæ suæ defensione potuisset Auctor afferre, id minime a Censoribus, atque Judicibus ignoratum, neglectumve fuisse. Nihil tamen minus, quod sæpe alias, summa æquitatis et prudentiæ ratione, ab eadem Congregatione factum fuisse constat, hoc etiam in posterum ab ea servari magnopere optamus, ut quando res sit de Auctore Catholico, aliqua nominis et meritum fama illustri, ejusque opus, demptis demendis, in publicum prodesse posse dignoscatur, vel Auctorem ipsum suam causam tueri volentem audiat, vel unum ex Consultoribus designet, qui *ex Officio Operis* patrocinium, defensionemque suscipiat.

§ 11. Quemadmodum vero, ubi de Congregatione Sancti Officii agebamus, eidem Nos semper interfuturos recepimus, quotiescumque de Libro, cujus materia gravioris momenti sit, iudicium agatur; quod erit

Nobis facillimum, quum eadem Congregatio qualibet Feriæ quinta coram Nobis habeatur; sic et Indicis Congregationi præsentiam Nostram impendere parati sumus, quoties rei gravitas id promereri videbitur. Neque enim id opus esse dicendum est, quum vel Hæretici hominis Liber denunciatur, in quo Auctor errores Catholico dogmati adversantes consulto tradit aut tuetur; vel Opus aliquod in examen adducitur, quo rectæ morum regulæ labefactantur, ac vitiis, et corruptelis fomenta præbentur. In his enim casibus ne illas quidem, quas supra scripsimus, accuratiores cautelas adhibere necesse erit; sed hæretico dogmate, vel pravo moris incitamento semel comperto, proseriptionis Decretum illico sancendum erit, juxta primam, secundam, et septimam Indicis Regulas, Sacrosancti Tridentini Concilii jussu editas, atque vulgatas.

§ 12. Cum in prælaudata Congregatione Sancti Officii severissimis legibus cautum sit, ne de rebus ejusdem Congregationis quisquam cum alio extra illam loquatur; nos hanc eandem silentii legem a Relatoribus, Consultoribus, et Cardinalibus Congregationis Indicis religiose custodiendam præcipimus. Illius tamen Secretario potestatem facimus, ut animadversiones in libros censuræ subjectos, eorum auctoribus, vel aliis illorum nomine agentibus, et postulantibus, sub eadem Decreti lege communicare queat; suppressis semper denunciatoris, censorisque nominibus.

§ 13. Examinandis, corrigendisque libris peropportuna sunt, quæ decem Regulis Indicis a Patribus Tridentinæ Synodi confectis, atque editis continentur. In Instructione autem felicitis recordationis Clementis Papæ VIII eisdem Regulis adjecta, Tit. *de correctione librorum* § V, Episcopis et Inquisitoribus cura committitur, ut ad librorum edendorum examen « spectatæ pietatis et doctrinæ viros adhibeant, de quorum fide, et integritate sibi polliceri queant, nihil eos gratiæ daturus, nihil odio, sed omni humano affectu posthabito, Dei dumtaxat gloriam spectaturos, et fidelis populi utilitatem. » His porro virtutibus, animique dotibus, si non majori, at pari certe de causa, præstare oportet hujus nostræ Congregationis Revisores, et Consultores. Cumque eos omnes, qui nunc hujusmodi munera obtinent, tales esse non ignoremus; optandum, sperandumque est, non absimiles deinceps futuros, qui ad id eligentur; homines nimirum vitæ integros, probatæ doctrinæ, maturo iudicio, incorrupto affectu, ab omni partium studio, personarumque acceptione alienos; qui æquitatem, libertatemque iudicandi, cum prudentia, et veritatis zelo conjungant. Cum autem eorum numerus nunc certus, et constitutus non sit; ab ejusdem Congregationis Cardinalibus consilium expectabimus, atque capiemus, num eum pro futuris temporibus definire oporteat, vel expediat: hoc tamen jam nunc decernentes, quatenus eorum numerus definiatur, ut tam Relatores, quam Consultores, ex utroque Clero, secu-

lari nempe, et regulari, assumantur, alii quidem Theologi, alii utriusque juris periti, alii sacra, et profana eruditione præstantes, ut ex eorum cœtu, pro varietate librorum, qui ad Congregationem deferuntur, idonei viri non desint ad ferendum de unoquoque iudicium.

§ 14. Ipsos autem Relatores, Consultoresque, tam nunc existentes, quam in posterum quandocumque futuros, monemus, ac vehementer hortamur, ut in examine, iudicioque librorum, sequentes Regulas diligenter inspiciant, accurateque custodiant.

§ 15. I. Meminerint, non id sibi muneris onerisque impositum, ut libri ad examinandum sibi traditi proscriptionem modis omnibus curent, atque urgeant; sed ut diligenti studio, ac sedato animo ipsum expendentes, fideles observationes suas, verasque rationes Congregationi suppeditent, ex quibus rectum iudicium de illo ferre, ejusque proscriptionem, emendationem, aut dimissionem pro merito decernere valeat.

§ 16. II. Tametsi hactenus cautum sit, cavendumque deinceps non dubitemus, ut ad referendum et consulendum in prædicta Congregatione, ii solum admittantur, qui scientiam rerum, quas libri delati respective continent, diuturno studio acquisitam possideant; decet enim de artibus solos artifices iudicare; nihilominus si forte eveniat, ut alicui per errorem materia aliqua discutenda committatur, ab illius peculiaribus studiis aliena, idque a Censore, aut Consultore electo, ex ipsa libri lectione deprehendatur; noveritis, se neque apud Deum, neque apud homines culpa vacaturum, nisi quamprimum id Congregationi, aut Secretario aperiat, seque ad ferendam de hujusmodi libro censuram minus aptum professus, alium magis idoneum ad id muneris subrogari curet: quo tantum abest, ut existimationis suæ dispendium apud Pontificem, et Cardinales passurus sit, ut magnam potius probitatis, et candoris opinionem, et laudem sibi sit conciliaturus.

§ 17. III. De variis opinionibus, atque sententiis in unoquoque libro contentis, animo a præjudiciis omnibus vacuo, iudicandum sibi esse sciant. Itaque nationis, familiæ, scholæ, instituti affectum excutiant; studia partium seponant; Ecclesiæ sanctæ dogmata, et communem Catholicorum doctrinam, quæ Conciliorum generalium decretis, Romanorum Pontificum Constitutionibus, et Orthodoxorum Patrum, atque Doctorum consensu continetur, unice præ oculis habeant; hoc de cætero cogitantes, non paucas esse opiniones, quæ uni scholæ, instituto, aut nationi certo certiores videntur, et nihilominus, sine ullo fideli, aut religionis detrimento, ab aliis Catholicis viris rejiciuntur, atque impugnantur, oppositæque defenduntur, sciente, ac permittente Apostolica Sede, quæ unamquamque opinionem hujusmodi in suo probabilitatis gradu relinquit.

§ 18. IV. Hoc quoque diligenter animadvertendum monemus, haud rectum iudicium

de vero Auctoris sensu fieri posse, nisi omni ex parte illius liber legatur; quæque diversis in locis posita, et collocata sunt, inter se comparentur; universum præterea Auctoris consilium, et institutum attente dispiciatur; neque vero ex una, vel altera propositione a suo contextu divulsa, vel seorsim ab aliis, quæ in eodem libro continentur, considerata, et expensa, de eo pronunciandum esse: sæpe enim accidit, ut quod ab Auctore in aliquo operis loco perfunctorie, aut subobscurè traditum est, ita alio in loco distincte, copiose, ac dilucide explicetur, ut offusæ priori sententiæ tenebræ, quibus involuta pravi sensus speciem exhibebat, penitus dispellantur, omnisque labis expertis propositio dignoscatur.

§ 19. V. Quod si ambigua quædam exciderint auctori, qui alioquin Catholicus sit, et integra religionis, doctrinaque fama, æquitas ipsa postulare videtur, ut ejus dicta benigne, quantum licuerit, explicata, in bonam partem accipiantur.

§ 20. Has porro, similesque regulas, quæ apud optimos Scriptores de his agentes facile occurrunt, semper animo propositas habeant Censores et Consultores; quo valeant, in hoc gravissimo iudicii genere, conscientiam suam, auctorum famam, Ecclesiæ bono, et Fidelium utilitati consulere

§ 23. Quæ hactenus a nobis proposita, ac constituta sunt, Prædecessorum nostrorum decretis plane consona, Congregationum quoque nostrarum legibus, et consuetudinibus comprobata, in librorum examine, ac iudicio instituendo, Apostolica auctoritate deinceps servari decernimus: mandantes universis, et singulis, qui in præfatis Congregationibus locum obtinent, seu illis quomodolibet operam suam præstant, ut adversus præmissa sic a nobis statuta nihil edicere, innovare, decernere, aut intentare præsumant, absque nostra vel successorum nostrorum pro tempore existentium Romanorum Pontificum expressa facultate.

§ 26. Non obstantibus contrariis quibusvis, etiam Apostolicis Constitutionibus, et ordinationibus, necnon earundem Congregationum, etiam Apostolica auctoritate, seu quavis firmitate alia roboratis decretis, usibus, stylis, et consuetudinibus, etiam immemorabilibus, cæterisque in contrarium facientibus quibuscumque.

§ 27. Nulli ergo omnino hominum liceat paginam hanc nostrorum decretorum, mandatorum, statutorum, voluntatum, ac derogationum infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri et Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum.

Datum Romæ apud sanctam Mariam Majorem anno Incarnationis Dominicæ millesimo septingentesimo quinquagesimo tertio, sep-

timo Idus Julii Pontificatus nostri anno tertio decimo.

D. Card. Passioneus.
J. Datarius.

VISA

De Curia J. C. Boschi.

L. Eugenius.

Loco x Plumbi.

Registrata in Secretaria Brevium.

(16. De aliis quæstionibus circa prohibitionem librorum vide Auctorem verb. *Libri prohibiti*.

CONGREGATIO RITUUM.

(17. Quamvis unitas, uti Nota veræ Ecclesiæ, potissimum sita sit in uniformi professione Fidei, et in eorumdem Sacramentorum administratione; ac quamvis disciplina non sit per se Ecclesiæ unitatis fundamentum; sunt tamen quædam præcipua disciplinæ capita, in quibus concordia indicta fuit ut essent tanquam ejusdem unitatis argumenta; unde ipsa unitas notis adhuc uberioribus accedentibus, demonstraretur, magisque palam cognosceretur. Inter ea præsertim Sacros Ritus annumerare non dubitamus, cum enim Religio in recta doctrina fidei et morum, ac in interiori et exteriori Divinitatis cultu posita sit, oportebat profecto Ecclesiam et præcipue ejus caput Romanum Pontificem, cui vi sui Primatus unitatis servandæ curam pertinet, Sacrarum Cæremoniarum ac rituum, qui externum cultum respiciunt, concordiam providere. Quapropter Pontifices a primis Ecclesiæ temporibus omni studio contenderunt rituum unitatem servare; et parum abfuit quin Victor in Paschatis quæstione Asianos Episcopos concordiam cum Ecclesia servare nolentes Ecclesiæ communionem privaret. Quam Victoris sententiam Concilium Antiochenum anno 341, can. 1, ac Nicænum Epist. Constantin. apud Euseb. de vita Constantin. 1, 3, c. 16, 17, 18, et Theodoret. H. E. lib. 1, c. 10, ratam esse voluerunt. Innocentius I in Epist. I ad Decentium Eugubinum hæc habet: « Si instituta Ecclesiastica, ut sunt ab Apostolis tradita, integra vellent servare Domini Sacerdotes, nulla diversitas, nulla varietas in ipsis ordinibus et consecrationibus haberetur; sed dum unusquisque non quod traditum est, sed quod sibi visum fuerit, hoc existimat esse tenendum, inde diversa in diversis locis, vel Ecclesiis, aut teneri, aut celebrari videntur, ac fit scandalum populis, qui dum nesciunt traditiones antiquas humana præsumptione corruptas, putant sibi, aut Ecclesias non convenire, aut ab Apostolis, vel ab Apostolicis viris contrarietatem inductam. Quis enim nesciat, aut non advertat, id quod a Principe Apostolorum Petro Rom. Ecclesiæ traditum est, ac nunc usque custoditur, ab omnibus debere servari, nec superinduci, aut introduci aliquid, quod auctoritatem non habeat, aut aliunde accipere videatur exemplum? præsertim cum sit manifestum in omnem Italiam, Gallias, Africam atque Siciliam, insulasque interjacentes nullum instituisse Ecclesias, nisi eos, quos Venera-

bilis Apostolus Petrus, aut ejus successores constituerunt Sacerdotes aut legant, si in iis provinciis invenitur alius Apostolorum, aut legitur docuisse. Quod si non legunt, quia nusquam inveniunt, oportet eos sequi hoc, quod Ecclesia Romana custodit, a qua eos principium accepisse non est dubium, ne dum peregrinis assertionibus student, caput institutionum videantur omittere. Sæpe dilectionem tuam ad Urbem venisse, ac nobiscum in Ecclesia convenisse, et quem morem, vel in consecrandis mysteriis, vel in cæteris agendis arcanis teneat cognovisse non est dubium; quod sufficere ad informationem Ecclesiæ tuæ, vel reformationem, si prædecessores tui minus aliquid, aut aliter tenuerunt, satis certum haberem, nisi de aliquibus, consulendos nos esse duxisses. Quibus idcirco respondemus, non quod te aliqua ignorare credamus, sed ut majori auctoritate vel eos instituas, vel, si qui a Romanæ Ecclesiæ institutionibus errarent, ut commoneas, aut indicare non differas, qui sint, qui aut novitates inducant, aut alterius Ecclesiæ quam Romanæ, existiment, consuetudinem esse servandam. » Alia plura de hac disputatione vide Bellar. de bon. oper. lib. 1, v. 2. Bonam de Div. Psalm. c. 4 et seq. Hugon. Menard. ad Sacram. S. Greg. M. p. 273. Martenium. de ant. Eccl. rit. l. 4, c. 1. Emman. de Azvedo Exercitat. Liturgio. Romæ 1750. Petrum Lazeri Diatrib. Romæ edita 1777.

(18. Tridentini denique Patres hanc veterem disciplinam inspectam habentes Summo Pontifici Ecclesiasticarum cæremoniarum sacrorumque Rituum Reformationem commendarunt; Sess. 23, in fin. et Sixtus V, Concilii voto satisfacere cupiens, novam Cardinalium Congregationem instituit, cui sacrorum Rituum provinciam commisit. Hæc sunt ejus verba: « Jam verò cum sacri ritus et cæremonia, quibus Ecclesia a Spiritu Sancto edocta ex Apostolica traditione, et disciplina utitur in Sacramentorum administratione, divinis officiis, omnique Dei et Sanctorum veneratione magnam Christiani populi eruditionem, veræque Fidei protestationem contineant, rerum sacrarum Majestatem commendent, fidelium mentes ad rerum altissimarum meditationem sustollant, et devotionis eam igne inflamment: cupientes filiorum Ecclesiæ pietatem, et divinum cultum sacris ritibus, et cæremoniis conservandis instaurandisque magis augere. Quinque itidem Cardinales delegimus quibus hæc præcipue cura incumbere debeat, ut veteres ritus sacri ubivis locorum, in omnibus Urbis Orbisque Ecclesiis, etiam in Cappella nostra Pontificia, in Missis, divinis Officiis, Sacramentorum administratione, cæterisque ad divinum cultum pertinentibus, a quibusvis personis diligenter observentur, cæremonia, si exoleverint, restituantur, si depravata fuerint, reformentur, libros de sacris ritibus, et cæremoniis, in primis Pontificale, Rituale, Cæremoniale, prout opus fuerit, reforment et emendent, Officia divina de Sanctis Patronis examinent, et Nobis prius consultis, concedant. Diligentem quoque curam adhibeant

circa Sanctorum canonizationem, festorumque dierum celebritatem, ut omnia rite, et recte, et ex Patrum traditione fiant, et ut Reges, et Principes, eorumque Oratores, aliæque personæ, etiam Ecclesiasticæ, ad Urbem Curiamque Romanam venientes, pro Sedis Apostolicæ dignitate ac benignitate honorifice more majorum excipiantur cogitationem suscipiant, seduloque provideant. Controversias de præcedentia in processionibus, aut alibi, cæterasque in hujusmodi sacris ritibus, et cæremoniis incidentes difficultates cognoscant, summarie terminent, et componant. » Const. 117, pag. 395, tom. 4, part. 4, Bullar. Mainard.

(19. Duplex quodammodo videtur ista Congregatio, una ordinaria pro Ritibus Ecclesiasticis, aut profiniendis controversiis præminentiarum; alia extraordinaria pro beatificatione ac canonizatione Sanctorum atque cultum quorundam servorum Dei. Sed Cardinalibus, ex quibus constat prima etiam in secunda convenientibus, solum differt numerus Prælatorum. In prima congregantur tantum Consultores, inter quos Magister Sacri Palatii et Sacrista Papæ, quibus perpetuo hoc munus ex officio committitur, unusque demum ex Pontificis Magistris cæremoniarum. In altera vero, præter supradictos, conveniunt quoque Promotor fidei, cui adnexum solet esse officium Advocati fiscalis tres antiquiores Rotæ Auditores, unus ex Protonotariis Apostolicis ex numero participantium; et alii Theologi, quos Consultores vel respective Qualificatores dicunt; demum probatissimi ac periti medici, aliique professores, ut disceptare possint an illæ operationes quæ miraculis referuntur, supernaturales revera sint. (20. Sed ad beatificationem et canonizationem Sanctorum quod attinet, apud Auctorem reperies in articulo *de Cultu sanctorum*. (21. Ordinaria igitur SS. RR. Congregationi officium in eo præcipue constituitur, quod veteres ritus sacri ubivis locorum in Missis, divinis Officiis, Sacramentorum administratione, cæterisque divinis officiis ab omnibus observentur, ut loquitur Bulla Institutionis. Nam antiquitus cuique Episcopo curas liturgiæ in sua Ecclesia erat commissa, unde liturgia S. Basilii, S. Jo. Chrysostomi, S. Ambrosii, etc., reperitur. Postea vero Pius V voluit ut idem Ordo Romanus servaretur ab omnibus, exceptis Religiosis, quibus uti suis privilegiis concessit. Occurrunt etiam in hac Congregatione negotia contentiosa inter partes; et tam in his, quam in gratiosis seu pacificis Congregatio summarie ac extrajudicialiter procedi, præviis extrajudicialibus informationibus ab Ordinario loci vel superiori Regulari, respective. Omnesque expeditiones et provisiones gratis conceduntur. (22. Vide de aliis Card. de Luca lib. 15, par. 2, Rel. Curiae Disc. 18, p. 275 edit. Venet. 726.

CONGREGATIO IMMUNITATIS.

(23. De jure asyli et immunitatis Ecclesiasticæ dicere omittentes, de quo loquitur auctor in proprio loco, discepta-

bimus tantum de Congregatione ad illud illæsum servandum instituta. Hoc factum est circa initium Pontificatus Urbani VIII, cujus tamen institutionis Bulla deperdita videtur. (24. Cardinalibus hujus Congregationis adjuncti fuere nonnulli Prælati, in quibus annumerantur unus ex Rotæ Auditoribus, unus ex Clericis Cameræ, Advocatus fiscalis, et alii ex dictis Rotæ et Cameræ Tribunalibus assumi soliti ad beneplacitum Pontificis. (25. Ista Congregatio solum agit de materiis concernentibus Ecclesiasticam jurisdictionem; curat ne illius exercitium a Magistratibus sæcularibus usurpetur; atque cognoscit causas de triplici immunitate locali, personali, reali. Agit etiam extrajudicialiter, uti de aliis diximus; nihil exigit pro expeditionibus, cæterisque actibus; et scribit per epistolas familiares Ordinariis locorum, vel Nuntiis Apostolicis, aliisque Ecclesiasticis Prælatibus propter informationes super recursibus et executione suorum decretorum ac resolutionum. Vide Card. de Luca loc. cit. disc. 18.

CONGREGATIO FABRICÆ.

(26. Julius II. cum animum intendisset ad Vaticanam Basilicam pene collabentem restaurandam, plurimas indulgentias, aliaque bona Ecclesiastica iis qui eleemosynis dictæ Basilicæ reedificationi occurrerent, concessit; proptereaque aliquot commissarios citra et ultra montes, quorum munus esset pias fidelium oblationes colligere, deputavit. Const. 28. *Liquet omnibus* t. 3, Bullar. Mainard. pag. 313.

Et Leo X. administratoribus dictæ Rev. Fabricæ amplas indulsit facultates adimplendi pia Legata, et ex eis aliquam partem ipsius restorationi applicandi. At Clemens VII. aliquas ex dictis concessionibus abrogans, Collegium 60 virorum pro meliori administratione Basilicæ Fabricæ instituit; Const. 3, Clemens VII. *Admonet nos*, pag. 31, tom. 4, part. 1. Bullar. eisque super causis ad Fabricæ rem privilegiaque pertinentibus judiciali jurisdictione concessa, ut legatorum piorum executioni providerent injunxit. Pius IV facultatem concessit cogendi Notarios ad traditionem exemplarii instrumentorum, post annum obitus testatoris. Const. 76. Bullar. tom. 4, p. 2, pag. 151. Pius V. quatuor editis Constitutionibus, priorum Pontificum Concessionibus alias majores addidit. Const. 108. pag. 55. Bullar. Const. 130, pag. 88. Const. 131, pag. 89. Const. 132, pag. 90, tom. 4, pag. 3. Sixtus V. cum Cardinali Basilicæ Vaticanæ Archipresbytero jurisdictiones aliquas concessisset, suprematiam in laudatæ Fabricæ Collegio, aliasque indulsit facultates. Sed Clemens VIII. demum erexit dictæ Fabricæ Congregationem, quæ constat ex competenti numero Cardinalium, pro Papæ beneplacito, adjunctis Cameræ Auditore, Thesaurario Generali, Pontificæ

domus Præfecto, uno ex Rotæ Auditoribus, uno ex Clericis Cameræ, aliisque nonnullis Prælatibus. His adde aliquos *Officiales* ex Prælatorum vel togatorum numero assumi solitos, nempe Judicem Ordinarium, Oeconomum generalem, Secretarium Congregationis, denique Defensorem et Procuratorem fiscalem. (27. Referam ex Cardinale de Luca loc. citat. disc. 20. Officia et munia Rev. Fabricæ Congregationis: « Circa plura itaque hujus Congregationis, ejusque officialium munus versatur. Primo nempe circa dictum executoris, et curatoris dispositionum, quæ ad pias causas factæ sint, ut suum sortiantur effectum, fructus decursos sibi applicando, ut istud Fabricæ opus, loco illorum operum vel suffragiorum, quæ fieri debebant, ex ecclesiastici thesauri plena potestate Apostolica succedat. Secundo, ut exigit, sibi que applicet pias dispositiones incertas, sive ad incerta pia opera factas. Tertio, ut pariter exigit, sibi que applicet illa legata, quæ facta sint pro certo opere individuo, pro quo bona relicta non sufficiant, ne alias cum indebito hæredis lucro, apud eum bona remaneant. Et quarto, quod ubi Ecclesiæ, seu loca, aut personæ, quarum favore dispositio facta sit, ex instituto capaces existant (ut ex. gr.) sunt Capuccini, et Minores observantes, ac etiam Jesuitæ quarti voti, eorumque Domus professæ, et similes, tunc Fabrica totam dispositionem sibi ipsi applicet, sive cum quibusdam compositionibus partem accipiat, et partem remittat. » Vide ipsum Cardin. de Luca sub tit. de Testamentis et Codicillis lib. 9, part. 1, disc. 23, et de Fideicommissis, Primogenituris et Majoratibus lib. 10, disc. 108, de Legatis lib. 11, p. 1, disc. 27, et de Regularibus et Monialibus lib. 14, p. 1, disc. 63.

Cum vero Vaticanæ Basilicæ, totius Orbis præstantissimæ, ædificatio jam perfecta esset, tantæ molis conservationi Rom. Pontif. consulere semper curæ fuit; quapropter omni studio tam Congregationis, quam Rev. Fabricæ privilegia nonnulla conservare contenderunt. (28. Et Benedictus XIV. Congregationem in *Generalem* et *Particularem*, uti facilius cuique negotio vacare posset, divisit; Const. 53. *Quanta Curarum* tom. 3. Bullar. hujus Pontif. Illa ex omnibus Eminentissimis Patribus et Præsulibus supra memoratis constat, contentiosamque Jurisdictionem super causis Rev. Fabricæ pertinentibus exercet; Nicolai de Vatic. Basil. D. Petri lib. 4, cap. 1, § in ista vero Eminentissimi Patres, Oeconomus, Secretarius, Judex Ordinarius tantum conveniunt, reique œconomice consulendæ causa.

(29. Recensemus hic ex integro resolutiones quasdam, et edicta hujus Rev. Fabricæ Congregationis; ut quanta sint ejus privilegia, et jura videre possis.

RESOLUTIO 1128.

Declarationes privilegiorum Rev. Fabricæ D. Petri factæ ab illis deputatis an. 1579.

Hieronymus Matthæus Curiae, etc. Deputati Fabricæ Basilicæ Principis Apostolorum de Urbe totum collegium representantes, etc. Dilecto filio Melchiori Reviliono Commissario et Secret. Rev. Fabricæ in Regno Neapolitano, ac aliis dictæ Fabricæ Commissariis præsentibus et futuris salutem.

« § 1. Accepimus vos in prosecutione causarum Fabricæ, ac Legatorum piorum exactione, multas reperiisse difficultates, multaque vobis circa nonnullas facultates nostras objici dubia, quæ non modicam et causarum expeditioni, et jurisdictioni afferunt perturbationem. Nos igitur, ut par est, in præmissis opportune providere volentes, ex facultate et auctoritate declarandi, interpretandi ac decidendi facultate, ad tollendas omnes ambiguitates et exceptiones, quæ circa privilegia Fabricæ, et facultates nostras oriri possunt, et fieri contingunt per præsentibus, ut infra declarabimus.

« § 2. Et quoniam alias fuit præcipue dubitatum, utrum bulla fel. rec. S. Pii V. quæ incipit: *Exigit*, sub datum Rom. an. Inc. 1569. 11. Kal. Jan., Pontificatus sui an. quarto, esset intelligenda indistincte de omnibus legatis piis, vel potius de tribus speciebus tantum, nempe de legato facto pro celebratione missarum, pro celebratione divinatorum officiorum, et pro erogatione eleemosynarum, ex generalitate verborum bullæ resolvendum duximus indistincte, intelligi debere, ac per eam comprehendi quodcumque legatum piis locis piis in quibusvis dispositionibus piis expressis, ac nominatis tam cum onere celebrationis missarum ac recitationis divinatorum officiorum, quam absque alio onere, et ex quacumque alia causa pia factum. De legatis igitur seu fideicommissis piis, locis certis, ac in testamento, seu quacumque alia dispositione pia et donatione inter vivos expressis, et ex quavis causa factis tam cum onere, quam absque onere quomodolibet de quibuscumque ecclesiis, hospitalibus, piis locis, nullo penitus excepto, nisi specialiter a Summo Pontifice, ac a Sede Apostolica, et tunc juxta formam suorum privilegiorum exempta existant factis, Commissarii Fabricæ post annum a morte testatoris, si aliud tempus a testatore ipso limitatum non reperitur, usque ad triennium competum quintam partem juxta dispositionem literarum in forma Brevis fel. rec. Leonis X. sub datum Romæ die 16. Dec. 1514, anno ejus Pontificatus secundo, et post triennium medietatem in vim bullæ S. Pii V. supra proxime relatæ, si et postquam alias quatuor quintas partes, seu medietatem alteram locis piis, quibus legatum fuit,